

Johann Tarnow Johannes Randovius

## **Exegesis Hortationis Apostolicae, quae extat Actorum cap. 3, v. 19. 20. 21.**

Rostochi[i]: Pedanus, 1623

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737674881>

Druck Freier  Zugang



Verf. : J. Randovius  
J. Tarnovius/a  
R. U. theol. 1623.



# EXEGESIS

HORTATIONIS  
APOSTOLICÆ,

*que extat*

Actorum cap. 3, v. 19. 20. 21.

D. T. O. M. A.

*Publicè ad disputandum proposita*

a. d. 2. August. in auditorio magno,  
horis matutinis,

P R Æ S I D E

IOHANNE TARNOVIO,

*Respondente*

JOHANNE RANDOVIO

Pölenio — Megapolitano.



ROSTOCHI

*Excudebat JOCHIMVS PEDANVS, Acad. Typ.*

ANNO M. DC. XXIII.

EXE GESIS

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA



PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA



PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA



## PROOIMION.



**U**m in multis alijs, tum etiam in hoc  
Christus cum Davide (cujus nomen quoq; obtinet  
Psal. 132, 10. Jerem. 30, 9. Ezech. 34, 24. & 37, 24.  
25. Hof. 3, 5. Amos. 9, 11. cum quo ultimo loco con-  
fer Act. 15, 16, 17.) potest comparari, quod, ut  
hic post diuturnum exilium tandem ad promissum,  
atq; ex Dei decreto, unctioe per prophetam adhibita revelato, debitum  
regnum perveniens arcem ac civitatem Davidis occupavit, quam voca-  
vit Jerosolymam (יְרוּשָׁלַיִם i. e. visionem pacis) eo suas conjuges tradu-  
xit, caecos autem & claudos inde exclusit, atq; ita Jehova, qui fuit cum  
eo, regnum ejus stabilivit, quemadmodum legere est 2. Sam. 5, 2. 6. 8.  
10. 12. 13. ita etiam verè sic dictus David, Christus, quippe patri dilectus  
filius Matth. 3, 17. postquam in his terris ac statu exinanitionis nostrae  
causa multas miseras, imò ipsam mortem pertulit Phil. 2. Psal. 110, 7.  
in gloriam suam intravit Luc. 24, 26. 46. regnum suum cum gratia in  
Ecclesia, ubi veris ejus membris largitur pacem, tum potentiae, quo in-  
ter medios hostes dominatur Joh. 14, 27. Rom 5, 1. Psal. 110, 1. 2. 1. Cor.  
15, 25. plenariè administrat, & tandem suos ad se gloriosè est perductu-  
rus Joh. 16, 22. & 17, 24. Cecos autem, & qui eum fidei oculo intueri  
noluerunt in tanta Evangelij luce, ac claudos, quiq; in via Domini  
noluerunt progredi, ex illo suo regno gloriae exclusurus: quemadmodum  
declarat hoc Petrus Apostolus Act. 3, 12. Et ex quo loco jam, Deo vo-  
lente, sumus visuri illam particulam, quã ostendit Israelitis, Christum  
ex Dei patris voluntate esse morte affectum, resuscitatum, ac in gloriam  
suam translatum, prout Propheta prænunciavit, eumq; tandem  
ex decreto Dei ad judicium extremum esse reversurum, ut suos in  
his terris afflictos Johan. 16, 33. refocillet, atq; aeternum beat, rebelles  
autem & corrigi nescios aeternis cruciatibus adjudicet, quum hunc

*Prophetam audire noluerint in suis Apostolis & ministris, hortaturq;  
sedulo, ut, dum tempus est, agant poenitentiam, discedant a ma-  
lo & faciant bonum, ut peccatorum veniã impetratã, benedictionem  
in Christo promissam reportent.*

## THESIS I.

**N**Os hoc tempore cum Deo contem-  
platuri v. 19, 20. & 21. membra constituemus tria,  
1. *Apostoli hortationem*, 2. *ei subjunctam dupli-  
cem rationem*, & 3. *annexam objectionis tacitæ occupationem*,  
quibus potest præmitti hujus adhortationis *ocasio*.

### OCCASIO.

#### II.

Ea autem ex præcedentibus facillè liquet, quod, dum  
Petrus cum Johanne in templum se conferens verbo sanaf-  
set in nomine Jesu Christi claudum ab utero matris, & po-  
pulus tanti miraculi magnitudine expavefactus accurreret,  
atq; in hos conjiceret oculos, Petrus occasione tantã rectè  
ufus, à se & Johanne, quicquid hujus est, removet, Chri-  
stoq; soli, qui jam in calum translatus cooperabatur suis  
Apostolis, sermonemq; prædicatum confirmabat per signa  
subsequentia Mar. 16, 20. Unde hi *ἱεὶς οὐρετζοί* I. Cor. 3, 9.  
appellatur, omne ac totum adscribit, atq; ita satis perspi-  
cuè distinguit inter miracula à Prophetis, Apostolis, alijsq;  
viris Dei effecta, & à Christo, dum in terris viveret, edita,  
nimirum, quod hic *ἰδιὰ δυνάμει* omnia fecerit, illi in ipsius  
nomine ac potestate: Quomodo argumentum nostrum,  
à potentia edendi vera miracula pro divinitate adstruenda,  
adhuc firmum & immotum contra Photinianos & alios per-  
stat, ejusq; Major expressè habetur Psal. 72, 18. Minor de  
Christo hic ponitur. conclusio itaq; etiam scripturæ erit.

Hinc

III.

Hinc ne quis offenderetur, quod Christus ille, cui Petrus tanta tribuit, sit ignominiosè crucifixus, quod tùm erat in recènti memoriâ, indicat, utrumq; ex Dei decreto, & Prophetarum prædictionibus rectè coherere, esse illum crucifixum ex infirmitate, passum esse carne, innocenter, quod ad ipsum, sed nunc vivere eum ex virtute Dei, 2. Cor. 13, 4. qui excitavit eum ex mortuis & glorificavit, vide versum hujus cap. 3. Act. 13, 14, 15. quod ut tantò citius & facilius crederetur, sub initium N. T. multis miraculis in Christi nomine factis fuit effectum, quò etiã hanc sanationem claudi 40. annos nati refert Apostolus v. 16. & ut Judæi hactenus ignorantes, nunc Christi agnitione, & notitia, seu fide in eum, quæ nititur scripturâ seu verbo Dei, imbuti v. 17, crucis ignominia nil quicquam offendantur, monet, præsertim, quum illa sit tam longè ante prædicta, ac propterea necessariò impleta v. 18. nunc vero gloria subsecutâ omnis sublata. Confer 1. Cor. 1, 23. & 2, 2. 5. 6. 7. 8.

IV.

Quæri hîc potest, quomodo illud verum sit, quod v. 18. dicitur, & v. 21. reperitur, & quò alluditur Luc. 1, 70. Confer etiam 1. Pet. 1, 10. II. Luc. 10, 24. *quod omnes Prophetæ prædixerint Christum passurum*, cum tamen de omnibus hoc non legamus in sacris biblijs? Alij alias responsiones quærunt, vel quod omnia, quæ prædixerunt, in hunc finem respexerint, & Christus ubiq; quæri debeat, quod quomodo sit intelligendum, fuit dictum *in præfatione in secundam editionem Exercit. Biblic.* vel, quod per consequentiam, sæpe antecedentia intelligantur, atq; ita quidem posteriori loco referantur, quasi jam semel dicta essent, quam observationem ex Augustino ponit, exemplisq; illustrat *Hyperius lib.*



lib. 2. de ratione studij Theolog. cap. 12. Obser. 46. cum quæ  
 confer etiam præcedentem observat. 45. quibus alia similia  
 ex sacris literis faciliè adijci poterunt. Nunc addo saltem  
 ex Heb. 12, 21. quod in Exodo non invenitur, & ex epistola  
 Judæ de Prophetia Enochî, quæ non extat alibi in Biblijs, &  
 si conferantur Act. 9, 17, atq; Act. 22, 13, 14, 15, 16. idem appa-  
 rebit: Simplicior tamen ea videtur, & huic loco conve-  
 niens magis, quod non omnia sint scripta, quæ à sanctis Dei  
 viris sunt Spiritus S. impulsu dicta, quemadmodum in om-  
 nium Prophetarum, Christi, Johannis Baptistæ, & Apo-  
 stolorum concionibus videre est. Johannes certè de mira-  
 culis Christi expressè id dicit c. 20, 30. & c. 21, 25. & observa-  
 tum idem est cum ab alijs, tum ab eodem *Hyperio* (cujus li-  
 brum allegatum sibi studiosi Theologiæ meritò habeant  
 commendatum) l. 2. c. 13. obs. 4. Id enim hic satis mani-  
 festo innuitur, quando dicitur ἐμφανικῶς, à θεῷ προκηρύχθει-  
 λε (non προέγραψε confer Rom. 15, 4.) ἀλλ' ἑμαίθη (non  
 βίβλων) πάντων τῶν προφητῶν αὐτῶν & postea v. 21. ὡν ἐλάλη-  
 σεν ὁ θεὸς ἀλλ' ἑμαίθη πάντων ἀγίων αὐτῶν προφητῶν διὰ  
 αἰῶν. Sic etiam v. 24. ἐλάλησαν καὶ προκηρύχθεισαν sic  
 Luc. 1, 70. Sufficit igitur nobis id hic dici, ab omnibus Pro-  
 phetis de Christo passuro, & ad judicium extremum ven-  
 turo fuisse allata in concionibus habitis vaticinia, licet illa,  
 omnia scriptis non sint consignata. Aliunde igitur potius,  
 quàm ex his verbis est probandum, omnes Prophetas de  
 Christo expressa habere scripta testimonia. Et hæc attigisse  
 jam sufficiat pro instituti nostri ratione: prolixiora alibi vi-  
 deri & ab alijs poterunt afferri.

## PARS PRIMA.

V.

Propositio itaq; Petri hæc est; Vos hæcenus multipli-  
 citer

citer & graviter peccastis, Christum abnegando, crucifi-  
gendo v. 13. 14. 15. Ignorando v. 17. quæ Deus toties prædi-  
xerat: *respicite igitur & convertite vos*, ( si quis cum vul-  
gato latino malit solocismum, per me vertat, poenitemini )  
de admissis dolere, & deinceps ad eundem lapidem offen-  
dere summo studio cavete.

#### VI.

Id notat verbum *וּשְׁבַחְתֶּם*, quod est post factum sapere,  
erroremq; admissum velle corrigere: Idemq; inavit ver-  
bum *וּשְׁבַחְתֶּם*, nempe à mundo & Diabolo ad Deum se  
convertere, quemadmodum contra homo in peccato à  
Deo ad mundum & diabolum se avertit. Syrus habet  
*וּשְׁבַחְתֶּם וּשְׁבַחְתֶּם* revertimini & respicite, conversâ facie ad  
Deum, cui obvertistis hactenus cervicem, accurrite, ubi  
Tremellius sensum tantum expressit, non Emphasin, quan-  
do vertit, *respicite*, & *convertimini*, confer Act. 26, 20.

#### VII.

Dicat quis, quomodo necesse sit, monere, ut deinceps  
caveatur, ne Christus crucifigatur aut lædatur, quum  
mors jam non amplius ei domineretur Rom. 6, 9. & 10. sed  
responsio facilis est, quando cogitamus, quod qui lædit  
Christi ministros, tangat pupillam oculi ejus Zach. 2, 8. &  
qui persequitur fideles, ipsum persequatur Act. 9, 4. quo sen-  
su Paulus dicit Gal. 6, 17. se stigmata Domini Jesu in corpo-  
re suo portare, & Colof. 1, 24. se reliquias afflictionum Chri-  
sti vicissim explere in carne sua. Interim non negatur, quod  
prior illa significatio & respectu termini à quo, hic maximè  
obtimeat, ut Syrus interpretet etiam indicat, nimirum, quod  
debeant illa prius admissa damnare, ac de ijs verè & ex ani-  
mo dolere.

PARS

---

## PARS SECUNDA.

### VIII.

Atq; hoc est primum hujus dicti punctum : nam de usu & ijs, quæ ad locos doctrinæ faciunt, in hac disputatione non agemus. Sequitur secundum, nempe *hujus hortationis ratio*, quæ est desumpta ab utili, his verbis, *ut deleantur peccata vestra*, & in crucifigendo, abnegando, & rejiciendo Christum, & aliàs in vita admitta, siquidem propositio illa indefinita æquipollet universali isti, omnia vestra peccata, scilicet Deus veniam non dimidiabit, aut nihil aut totum te lachrymante dabit.

### IX.

Græca paulò sunt *εμφαικώματα*, εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἀμαρτίας, metaphorà sumpta ab ijs, qui rationem, accepti & expensi exigunt, vel suorum debitorum nomina, ubi solverunt, liturà inductà expungunt atq; obliterant. Ad eum enim ferè modum describitur peccatorum remissio, quæ in pœnitentia seria obtingit. Peccata sunt debita Matt. 6, 12. & c. 18, 21, 24. quæ non possumus nos ex nobis solvere, ibid. v. 25. confer parabolam Luc. 16, 1. & c. sed Christus pro nobis solvens, quod non rapuit, Psal. 69, 5. suo sufficientissimo *λύτρο* 1. Pet. 1, 18. 19. delevit; & Chirographum nobis contrarium Coloss. 2, 14. (*ἐξαλείψαι*) & propter hujus meritum fide apprehensum delentur in libro Dei, eoq; judicij, nostra mala nomina: Quod beneficium ut sibi obtingat multis debitis capitalibus obstricto, orat David Ps. 51, 3. beatumq; prædicat, cui dimissa sint peccata, & non impudentur Ps. 32, 1. 2. Luc. 7, 41. 42. Confer ea, quæ dicta sunt *in exegefi dicti Apostolici* 1. Timoth. 1, 15, 16. th. 9.

### X.

Syrus interpres aliam metaphoram in versione hujus loci

loci adhibet, sed eam cum in V. tum in N. T. in hac materia, ubi agitur de hominis coram Deo justificatione, satis usitatam: **קטענר**, ut obvelentur, seu operiantur velut veste obducta, veste autem justitiæ Christi Esa. 61, 9. 10. quod satis manifestò innuit cum hujus verbi Jacob. 5, 20. usus, ubi græcus textus authenticus habet **καλύψει**, tum verbi hebraei **קטע**, unde descendit, constans significatio, quæ est, obvelavit, operuit, amicivit, unde **קטענר** amictus Esa. 61, 3. ut sanè mirer à Tremellio in margine hîc esse adjectam illam notam: sumtum verbum à rationarijs, qui dissoluta nomina inducto calamo expungunt, quæ quidem ad græcum textum optimè quadrat, ad syram verò paraphrasin non item.

### XI.

Hoc autem beneficium licet in se sit perfectum, tamen ultimum ejus complementum, ratione effectus seu salvationis & glorificationis in hac vita quidem spe Rom. 8, 24. in alterâ verò ipsâ re, hîc inchoatè, ibi consummatè obtingit ijs, qui credunt in Christum, & contra illis, qui noluerunt moniti agere pœnitentiam, per accidens cedit in damnum, quia quem poterant habere liberatorem & salvatorem, coguntur ob spreum Evangelium severum experire judicem.

### XII.

Hæc itaq; est altera ratio desumpta à secutura vitæ commodis, redundantibus in pœnitentes ac fideles, atq; incommodis manentibus impœnitentes ac incredulos, nempe qui hîc à peccatis est absolutus, ibi non conjicitur in carcerem,

unde negant redire quenquam, hoc est, in infernum: & contra, cujus peccata hîc non sunt expuncta, ex coelis excluditur, & ad infima tartara detruditur.

B

Sic

XIII.  
Sic itaq; Petrus concludit: Agite poenitentiam, ut & peccatis absoluti tandem salvemini. Contrà, si nolueritis huic saluberrimæ admonitioni parere, vestro damno sentietis olim, quàm malè vobis consulueritis, dum in inferno torquemini, pii autem in coelis refocillantur. Ita enim hæc elliptica oratio (qualem eam esse statuunt *Calvinus*, *Beza*, *Tossanus*, etiam *D. Arcularius* & alij) ubi auditoribus, quid ipsis ex usu sit, colligendum relinquit apostolus, supplenda est, *ut deleantur vestra peccata*, ut vos quoq; *quum venerint tempora refrigerij*, refrigerium sentiat. Nam si non egeritis poenitentiam, ligati in his terris, & peccatorum gravi ære obruti, ligabimini & cruciabimini post hanc vitam.

XIV.  
Quæ licet non sint contra fidei analogiam, nullo tamen modo inde debet reprehendi ulla interpretatio alia ac diversa, vel Syra, vel Arabica, (quam itidem per, *ut*, vertere ὅπως ἂν, annotat *Beza*) vel Lutheri p. m. quia in sensu revera conveniunt, nec sunt adeò graviter hallucinati illi interpretes, uti *Beza* existimat, si maximè illud ὅπως ἂν semper significaret postquam. sed si velimus par pari referre, stylum vertere & in *Bezam* retorquere possumus, quæ de illis ipse dixit. Longè enim simplicius omnia possumus interpretari, & coherere quoq; singula rectius, quando illud ὅπως ἂν h. l. reddimus per *UT*. quia non demum in extremo die ac iudicio delebuntur peccata, quod videtur sequi ex ista explicatione, si quis simpliciter accipiat, ut deleantur vestra peccata, postquam venerint tempora refrigerij i. e. iudicij extremi: nisi velis dicere, de perfectâ declaratione coram toto mundo hoc esse intelligendum, quemadmodum.

cum saepe quaedam tum fieri dicuntur, quando manifestan-  
 tur, quod tamen hic sine causa non facile admittam, aut  
 ellipsin, ubi opus non est, statuam, sed potius id sentiam,  
 priorem causam, cur debeant agere poenitentiam, esse hanc,  
 ut peccatorum impetrent veniam; posteriorem verò, ut,  
 quando sunt in hoc seculo iustificati, in aeterno glorificentur,  
 aeternumq; refocillentur, *auff das da komme die zeit der er-  
 quickung / juxta Lutherum, quod melius quadrat, quàm il-  
 lud Polani ex Beza, nach dem die zeit der erquickung kommen  
 wird / quod tempus esse extremi judicij expressè subjicit in-  
 notâ apposita: Früchte der Erlösung von Christo beschehen/  
 sind/ vertilgung der Sünden / vnd die vollkommene erquickung  
 von allen Trübsalen vnd Elend am Jüngsten Tage.*  
 Sed extremum judicium necessariò præcedit deletio pecca-  
 torum. quomodo igitur simpliciter verum erit hoc, *auff  
 das ewer Sünde vertilget werden / nach dem die zeit der erquis-  
 tung kommen wird.*

XV.

Vide autem, quomodo *Beza* sui oblitus scribere in hunc  
 locum audeat: ὅπως ἂν NIHIL aliud declarat, quàm *ἔπει-  
 δὲν* i. e. *postquam*. Falsissimum enim hoc esse liquet, vel  
 ipsius *Beza* facto & proprio hoc testimonio, dum aliter  
 vertit, nempe per UT, & rectè, sententia ita urgente.  
 Matth. 6, 5. Luc. 2, 35. etiam Actor. 15, 17. Rom. 3, 4. quia.  
 Amos 9, 12. & Psal. 51, 6. unde citantur illa loca, extrat *עַד  
 non וְאַחַר vel וְאַחַר aut simile quid. Et notissimum est,  
 particulam ἂν saepe apud græcos παρέλκειν.*

XVI.

Vox *καί* ex hebraismo noto, ubi *עַד* in plurali etiam  
 notat tempus, ut in prophetarum titulis seu inscriptionibus

vidimus aliquoties, rectè per tempora vel *tempus* hîc vertitur.

XVII.

*Ανάψυξις* autem à Luca more suo valde eleganter dicitur futurum seculum, cujus initium erit ab extremo iudicio, siquidem nôtat recreationem, quæ fit & contingit per refrigerationem illis, qui sunt æstu debilitati, ut in quibusdam, qui animi deliquium sunt passi, ubi frigidam suffundis, videre est: quomodo etiam optimè potest fieri respectus ad illud, quod tum animæ, quas efflarunt Christiani, cum gaudio iterum suis sint conjungendæ corporibus, æternâq; fruituræ deinceps lætitiæ, quemadmodum etiam apud profanos autores dicuntur *ἀναψύχεται*, qui recreantur ex animi deliquio, & de eo, qui post magnas calamitates aliquantulum se allevari sentit. & juvari, usurpat. apostolus 2. Timothi 1, 16. & *ἀναψύχων* dicuntur homines, qui animi deliquium patiuntur Luc. 21, 26. ut ita, quod est à *ψύχω*, aliquomodo se referat ad cognatum vocabulum *ψυχή*. Si quis etiam verbi *ἀναπαύειν*, & nominis *ἀναπαύσις ἔμφασιν* Matt. 11, 28. 29. (cujus etiam in hac vita est initium, & gustus optimus datur fidelibus Heb. 6, 5.) porrò hîc explicare velit ex Apoc. 14, 13. non incommodè hoc quoq; posse fieri crediderim..

XVIII.

*Αναψύξεως* hujus minima particula vel potius talis visa, more scripturæ nobis condescendentis, egregiè à Luca describitur fuisse petita, sed non impetrata à divite epulone, cap. 16, 24. unde perennis hujus beneficij magnitudinem, ex contrario licet aliquo modo æstimare, & damnum manens corrigi nescios, nec ad concionem apostolorum, aliorumq; verbi ministrorum resipiscentes, explicare. Conferatur

feratur, quod ad rem, locus Apoc. 7, 16. 17. qui est hujus vocis velut quidam Commentarius.

XIX.

Syrus interpres iterum aliam quidem, sed tamen & eam elegantem ac in scripturis non insolentem adhibet metaphoram, quando vertit **שְׁקֵט** i. e. quietem. Nimirum, hæc vitalabor & dolor est Psal. 90, extus pugna, intus pavores 2. Cor. 7, 5. omniaq; sunt irrequieta: ibi autem erit requies, ut paulò antè fuit dictum ex Apocalypsi. Confer locum, iterum quod ad rem, non quod ad phrasin 2. Timoth. 4, 7. 8.

XX.

Quid verò illud **δὸν εὐσέωσιν Κυρίου**? hoc, credo, quod summa illa beatitudo consistat in semper felici ac nunquam terminanda Dei visione, unde beatitudo illa oritur, ut ita **δὸν** hoc loco significet fontem, originem, seu si mavis, causam efficientem. Inspiciantur loca Psal. 16, 11. & 17, 15. Job. 19, 26, 27. 1. Joh. 3, 2. 1. Cor. 13, 12. Eph. 1, 2. & 6, 23, simul tamen **δὸν** hoc loco potest denotare præsentiam, ut idem sit quod **ἐναντιον**, **ἀπέναντι**, **ἐνώπιον**, **לפני**, **לפניך** quod Lutherus innuit, quando vertit: **für dem Angesichte des Herrn**.

XXI.

Quando autem hoc erit? quando hæc promissa apparebunt? tum, *quando mittet* Deus pater (cui hoc & alia multa tribuuntur ratione originis, ut vulgò loquimur, cum meliori in tam arduo mysterio destituamur vocabulo, ita tamen ut Filius & Spiritus S. inde non excludantur, sed ut personarum internæ seu **νόμι** **σωτήσεως**, & externæ proprietates, sic & modus agendi observetur ac discernatur probè) illum *prius vobis prædicatum* ac præconio multorum verbi ministrorum prænunciatum *Jesum Christum*, quod

B 3

esset



effet ipse non tantum redemptor generis humani, sed & iudex totius terræ futurus. Mittet verò eum ad iudicium extremum cum insigni solennitate, maximaq; majestate, exercendum Matt. 25. quem antea in statu exinanitionis miserat mundo in humilitate, & nunc quotidie ejus meritum ac beneficia in verbo ac sacramentis offert, dum sonat Evangelij *κῆρυγμα*. Ubi non videtur esse necessarium, ut cum *Bez* huc decurramus, quando cupimus conciliare Syrum interpretem cū textu græco, ac dicamus, quod olim aliud in textu sit lectum, quia in prædicatione Evangelij facta & revelata est illa designatio, unde rectè dicit syrus משיח ex bonitate ac gratia datus atq; annunciat. Et hucusq; membrum hujus nostri dicti secundum: restat tertium, idq; præcipuum.

---

### PARS TERTIA.

#### XXII.

Ubi apostolus, postquam dixerat v. 19. ut pœnitentiam agerent, hoc est, peccata agnoscerent, ac fide ad Christum ab apostolis prædicatum v. 15. 16. confugerent, occurrit primùm huic objectioni tacitæ: Dicis in Christum esse credendum, ac per hunc sperandam esse refocillationem, quem tamen esse interfectum scimus, & ipse factus es suprâ v. 14. 15. quomodo igitur in hominem mortuum rectè possumus credere? Respondet, mortuus fuit quidem secundum scripturas v. 18. sed etiam secundum easdem resurrexit v. 15. & in gloriam suam intravit v. 13. Confer 1. Corinth. 15, 3. 4. imò cœlum occupavit, & regnum atq; administrationem totius mundi. Deinde, quia iterum obverti poterat: At nondum hoc videmus Hebr. 2, 8. respondet Petrus, id fieri, quia nondum venit illud tempus, quo omnia in suum principium

finum reducantur statum, nempe dies extremi iudicij. Vide I. Corinth. 15, 23. 24. 25. 26. Licet itaq; Christum ex mortuis excitatum gubernare omnia sensibus non percipiamus, oculis non usurpemus, tamen id verissimum esse divinis literis asserentibus credendum est, quia Deus utrumq; dixit per prophetas, eum esse passurum v. 18. sed etiam non in morte mansurum, verum post mortem gloria & honore coronatum, super omnia erectum, adeoq; omnibus regendis praefectum iri Psal. 8. Hebr. 2. I. Corinth. 15.

### XXIII.

Hac coherentia indicata propter contradicentes Calvinianos, singula verba prius sunt declaranda: deinde autem probandum, hunc esse verum sensum, quem indicavi, non illum, quem ipsi propugnant. Primò vero *ὁ* esse articulum *ἀναφορῶν*, utriusq; in confesso est: sicut & illud, quod referatur ad proximè praecedens, *Jesum Christum*, non ad ullum aliud remotius.

### XXIV.

Deinde verbum *δὲ*, quod non indicet necessitatem aliquam coactionis, sed tantum consequentiam, seq; referat ad decretum divinum, & hinc promanans jus, quo meritò Christus regnum capessat post exinanitionem, patet ex illo, quod ad testimonium prophetarum omnium provocat apostolus, & quod illud verbum eodem modo usurpetur Luc. 24, 26. 46. Conferatur Actor. 14, 22. Obiter noto, id satis clarè dicere syrum interpretem, quum vertit *וְלֵיהּ*, cui *convenit, competit, quem decet, justum, aequum & dignum est* occupare coelum, seu *ut cali ipsam honorificentissimè* velut suum Dominum *suscipiant*, qua de re infra. Nunc de his vide *M. Trostij Lexicon syriacum egregium nuper Cothenis editum*, quod Concordantiarum instar est. Noto autem

autem hoc, ne ex suo OPORTET malè accepto, Calviniani necessitatem quandam consequentis satagant educere, quasi necesse sit ob corporis veritatem Christum non esse alibi, quàm in cœlo, quum potius hîc quæ dicuntur, sonent omnia de dignitate, majestate, gloria, non verò de necessitate ullâ agatur physicâ.

XXV.

Vocabulum COELI quomodo sit hoc loco accipiendum, dubium ei nullum esse potest, qui & cohærentiam hujus textus, & consonantiam locorum parallelorum, & quorundam præcipuorum ex adversarijs explicationes, præcipuè *Calvini, Bucerii, Marlorati* &c. probè considerat, quemadmodum quæ sunt hujus generis, satis benè & prolixè sunt deducta à *Dn. D. Chemnitio p. 3. L. C. in Loco de Cena, & quidem in epistola ad D. Timotheum Kirchnerum exarat. a cap. 3. (mihi) pag. 195. b.* Eorumq; omnium egregiam quandam epitomen invenies apud *Dn. D. Mentzerum in Anti—Martinio edit. Francofurt. 1604. à pag. 129.* &c. quorum scripta quia sunt omnibus nota, multa inde huc afferre supersedeo, cum legi ibi possint, & si quid hîc deficiam, illi possint esse suâ illâ diligentîâ succenturiatî. *Arcellus in cap. 3. Actor.* & hunc locum ipsum ita scribit, (mihi) pag. 220. *δέξασθαι οὐρανόν*, hoc est, plenâ potestate cœlum occupare. Verbo dicam: notatur non tantum cœlestis beatitudo, sed etiam, & imprimis, omnimodum in omnes creaturas imperium.

XXVI.

Huic nil obstat verbum *δέξασθαι*, ut in locis autorum allegatis probatur, quod num sit semper (etiam extra N. T. quod video à nonnullis asseri) tantum activæ significationis, non disputo, quum id jampridem ab alijs sit factum, hîc

hic planè præter rem, ubi non possunt ipsi Calviniani dicere, quod sit ab apostolo passivè usurpatum, sed tantum, quod apud Nazianzenum & alios per *δεχθῆναι* redditum, imò de eo non esse litigandum cum *Calvino* censent *Tossanus*, *Crocus*; & nobis hic sufficit, quod ob constructionem, quæ hic extat, non possit esse ullo modo passivum, quum præpositio *ὑπὸ, παρὰ*, vel similis sine dubio esset adjecta, vel saltem genitivus in dativum mutatus &c. De voce latina *CAPERE*, *continere*, aliquid dixi in *secunda edit. Exerc. Bibl. pag. 179. 181.*

XXVII.

*Χρόναι ἀποκαταστάσεως* iterum eleganter vocatur tempus futuri seculi, secuturum post habitum iudicium extremum, quod cur hoc nomen obtineat, ex his conjecturam puto quis capiet. In creatione omnia erant benè constituta, & singulorum *ἐρθόσεως*: Verùm per lapsum primorum parentum, eorumq; *ἀποστασίας* contigit quadam *στάσις* seu seditio ac rebellio, atq; ita multa propter hominem, Dominum eorum, sunt de sua sede & felicitate pristinâ deturbata, adèd ut etiam propter eum creaturæ vanitati sint subiectæ *Rom. 8.* Venit autem alter Adam Christus, & suâ vitâ, passione ac morte promeruit, ut, qui in ipsum credit, salvari possit. & hæc est velut quædam salutaris *κατάστασις*. Qui plura cupit, videat etiam *Bezam* in *Act. 17, 15.* ubi emphasin verbi *κατάστασις* exponit egregiè: Conferat etiam hæc loca, ubi verbum græcum occurrit *Matt. 12, 13. Mar. 3, 5. & 8, 25. Luc. 6, 10. & imprimis Matt. 17, 11. Marc. 9, 12. Act. 1, 6.* Sed in hoc mundo, non omnia reducuntur in statum pristinum, siquidem omnia nondum suum affecuta sunt finem, mali nondum plenariè puniuntur, pij nondum perfectè beantur: restat itaq; tempus *ἀποκαταστάσεως*, quando

C

ab

ab illo priori gratiæ statu ad statum gloriæ perfectæ pervenient justificati. Compara, quando alij solent quatuor status constituere, & hominem salvandum considerare in natura 1. instituta, ubi integritas. 2. destituta per peccatum, ubi perversitas. 3. restitui cœpta, ubi adhuc est infirmitas. 4. plenè restituta, ubi est omnimoda beatitas. Breviter *ἐπίστασις* est in denegato creatori à primo Adamo officio: *κατάστασις* in secundi Adami redēptoris beneficio: *δοκίμασις* in extremo iudicio. Cum quibus non ineptè possunt conjugungi illa, quæ habet *Dn. Chemnit. lib. 3. Harm. Evang. cap. 49. pag. 260.* in paucis mutata, & quibusdam nunc aucta. Homo initio ad imaginem Dei creatus habuit *αἰσθητικὴν* perspicaciam veritatis Eph. 4, 24. per lapsum amiſſa luce veritatis incidit in *ἀσθητικὴν* seu *παρὰνοιαν* efficaciam falsitatis Johan. 8, 44. Deus verò ex immensa sua misericordia lucem verbi sui accendit, ut reducat nos ad *μετάνοιαν* i. e. mentis sanitatem 2. Timoth. 2, 25. 26. Luc. 15, 1. 8. 9. 10. quam si spernit homo, incidit in *ἀνοιαν* finalem infidelitatem & æternam calamitatem Rom, 2, 4. 5. & 1, 16. 18. 24. 26. si grata mente & manu, fidei nimirum, illam salubrem admonitionem ac promissionem de remissione peccatorum suscipit, pervenit tandem post hanc vitam ad plenariam *ὁμόνοιαν* *καὶ εὐνοιαν* concordiam & felicitatem, ubi nec in homine amplius dissident caro & spiritus, nec ipsi molesti sunt suis litibus alij, nec ipse Deo nec angelis repugnat, sed cum omnibus suavissimam colit pacem.

### XXVIII.

Hæc est *ἐπιφάνισις* vocis *ἀπὸ κεντρικῆς*, à plerisq; Commentatoribus neglecta, à paucis interpretibus indice digito notata, inter quos Lutherus noster, *bis auff die zeit/das her wieder*

wiederbracht werde alles / & syrus , dum reddit *NIVS* com-  
plementum, quæ sunt, ut *Prudentius* canit,  
tempora justa.

Cum spem Deus impleat omnem. Innuit igitur Lutherus, fuisse in Adamo illa bona amissa, per Christum recuperata, plenariè dari omnia post hanc vitam, de quibus aliàs & alibi, si volet Dominus.

XXIX.

Hæc autem omnia, quæ de Christi gloriosa ad dextram Dei sessione, omnium rerum plenaria administratione, ac tandem omnium omnimoda restitutione dixit Petrus, à prophetis omnibus esse prædicta asserit, quod quomodo sit intelligendum, supra thesi 4. fuit indicatum. Et hæc tenus nostræ sententiæ, quam putamus niti textus perspicuitatè, explicatio, & pro instituti nostri ratione brevis comprobatio: nunc deinceps quædam contra adversariorum depravationem erunt afferenda.

XXX.

Eligemus autem *Calvinum lib. 4. Instit. c. 17. sect. 29. Bezaq. notas ad N. T.* Et sanè mirum est, hic adeo duriter loqui Calvinum, qui tamen alios vult leniter agere, quod etiam ipsius successores hinc inde urgent. Verba hæc sunt. *Et quoniam tantum fiducia ponunt in hac latebra presentia invisibilis, agedum videamus, quàm benè in ea se occultent. Primo syllabam non proferent ex scripturis, quâ probent invisibilem esse Christum: sed pro confesso sumunt, quod nemo sanus illis dabit, non posse aliter Christi corpus in cæna dari, nisi operatum panis larvâ. Atq; hoc ipsum est, de quo nobiscum litigant: tantum abest, ut principij locum obtineat. Ac dum ita garrunt, coguntur duplex facere Christi corpus: quia in se visibile est in cælo secundum eos, in Cæna autem speciali di-*  
C 2 *spensa-*

spensationis modo invisibile. Quam verò belle hoc conveniat, tam ex alijs scriptura locis, tum Petri testimonio facile judicium est. Dicit Petrus, oportere Christum caelo capi vel comprehendi, donec iterum adveniat. Docent isti, ubiq; locorum esse, sed absq; forma. Excipiunt, iniquum esse, naturam gloriosi corporis subjicere naturae legibus. Atqui Serveticum illud delirium (quod pijs omnibus merito detestabile est) absorptum fuisse corpus à divinitate, secum trahit haec responso &c.

### XXXI.

In his verbis & I. statum Controversiae immutat. II. verba nostratum detorquet in sensum alienum III. falsum asserit, ac IV. praesupponit. De singulis breviter.

### XXXII.

Primo enim non agitur praecipue inter nos & Calvinianos de eo, quando de Coena disputatur, *num Christi corpus sit invisibile*, nec ponimus multum fiducia in ista labra praesentiae invisibilis, quum verbis Coenae praecipue nitamur, ex ijsq; nostram sententiam confirmemus. Calvinianis autem urgentibus visibilitatem corporis Christi, & in illa omnem fere suam fiduciam collocantibus, respondemus, non necessarium esse, imò non esse conveniens, ut corpus glorificatum videatur à nobis in hac vita ac miseria constitutis. Quando autem corpus glorificatum apostolis visum est, dispensationis esse inde liquet, quia statim illius ratione cessante, corpus ipsum non amplius videbatur, licet praesens.

### XXXIII.

Deinde, quis unquam fando audivit, ex nostratibus ullum verum Theologum asseruisse, *non posse aliter Christi corpus in Coena dari, nisi opertum panis larvâ*. Nunquam enim

enim quisquam eorum, quibus sanum saltem sinciput, ne  
dicam, cui corpus, voluit ita *de Escalev*, ut determinet,  
quid Deus possit, quid non possit, ubi non constat de vo-  
luntate. Calvinianos nonnullos, utpote *P. Martyrem in*  
*dialogo*. & alios nonnullos hoc sibi sumere novimus. Ita se  
res habet. Quando constat de voluntate Dei, ea; est im-  
mutabilis, dicimus jam hoc à Deo determinatum claris ac  
perspicuis verbis non posse aliter se habere. ut, non potest  
homo salvari, nisi per fidem, non potest ordinariè fidem  
concipere, nisi ex verbo, eo; vel nudo vel simbolo seu  
Elemento aliquo vestito. Et quomodo potest Calvinus un-  
quam probare, nos putare, id, *corpus Christi esse invisibile*,  
principij locum in disputatione de Coena obtinere? Porro  
quomodo cogantur nostrates, quum dicunt, modum esse  
duplicem, quo aliquid addit, asserere, *esse duplex Christi cor-*  
*pus*, non video. Ergo Deus quoq;, quando non videtur,  
& quando videtur seu auditur, sive in visionibus Esa. 6. sive  
alijs revelationibus Dan. 7. Matt. 3. est alius propterea ab eo,  
qui non ita semper auditur vel videtur? Tandem, estne  
hoc statum Controversiæ invertere, de Lutheranorum  
sententia satis notà & declarata asseverare: *Docent ubiq; lo-*  
*corum esse (Christum) sed absq; formâ*. Neq; enim formam  
essentialem neq; accidentalem ita derogamus Christo,  
quando dicimus ejus corpus glorificatum à nobis jam videri  
non posse, nisi ex dispensatione hoc fiat. Et quid illud ad  
visibilitatem? color est objectum visus, non forma acci-  
dentalis. Quis itaq; sic argumentari velit: Hoc non vide-  
tur. E. non habet formam, seu est absq; forma.

XXXIV.

Secundò, ex dictis liquet, quomodo verba in alienum  
trahantur sensum, siquidem aliud est, Christi corpus non-



videri semper, vel non necessario omnibus esse visibile; quod dicimus, & longè aliud, *invisibilem esse Christum*. *Pro confesso*, inquit, *sumunt*. Estne hoc sumere pro concessio (sensu Calvinii) quod est ex verbis Cœnæ demonstratum, non aliter Christi corpus in Cœna dari, quàm Christus instituit ac voluit. Is autem dixit, Edite, hoc est corpus meum. Etiam hoc: *ubiq; locorum*. Quid necesse fuit asserere vocem, locorum? quum Christi corpus non sit corpus merè physicum, cuius affectio est locus. Coronidis loco: Non habet omnia accidentia corpus Christi, quæ nostra, tum quia glorificatum, tum maximè, quia *λογος* Christus homo est unitus personaliter. Ea est nostra assertio, quæ his verbis profertur, quasi doceamus, *Christi corpus adesse, sed absq; sua forma*; quum forma tamen det esse rei. Quod si formam accidentalem externam intelligit, neq; hanc corpori Christi in se considerato negari à nostris arbitror, quanquam ideo, quod sit filij Dei proprium corpus multas habeat prerogativas, nec legibus physicis subjaceat.

XXXV.

Tertium hinc patet. Numerabimus autem nunc tantum falsa, quæ hîc dicuntur. I. *tantum fiducia ponunt in hac latebra*. II. *quàm benè se occultent*, scilicet illi, qui semper voluerunt suam sententiam toti mundo innotescere. III. *pro confesso sumunt*. IV. *placentulas nostras esse panis larvam*, vel panem esse corporis Christi larvam. Larva hominis est, qui illud credit: blasphemus, qui hoc asserit. V. *Christi corpus esse O P E R T U M*. crassum utiq; hoc figmentum & multoties monstratum. VI. *garrunt*, nimirum qui Christi testatoris verba urgent. VII. *In cœna speciali dispensationis modo esse invisibile*.

Quan-

## XXXVI.

Quartum, quod est hujus loci præcipuum, præsupponit, Petrum dixisse, oportere Christum caelo capi (nondum sufficit illa conclusio, dicendum est ex sententia Calvini ἐμφατικῶς) vel comprehendere, quum nihil quicquam tale sit in textu. δεχεσθαι enim hic non potest esse passivum, Quod Lutherus aliquando passivè verterit, si quis objicit cum Crocio in Conversatione Prutenica, cum Tossano Comment. in Act. Lutherum ex Luthero explico, & illas editiones Bibliorum Lutheri plures esse invenio, in quibus sit activè redditum illud δεχεσθαι. Martinus in Confessione brevi de persona Christi p. 44. cum Crocio & alijs anno 1529. N. T. illud Wirebergæ esse editum & Francofurti reculum ait, quod credo. Quod verò Tossanus asserit, Lutherum paulò ante mortem ita passivè vertisse, fides sit penes autorem, qui hoc asserit, mihi tale exemplar bibliorum videre non licuit, qui habeo Francofurti edita Lutheri biblia, in quibus sub finem quædam dicta aliter versa, inter quæ hoc non reperitur. ἀλλὰ τὸ ἴδιόν μόνον.

## XXXVII.

Hoc tamen inde sequitur, colligit non nemo. Si enim cœlum capit Christum, E. etiam à cœlo capitur. Resp. 1. Ergo Petrus id non immediatè & literaliter dicit, sed per Consequentiam quandam inde deducitur. 2. est petitio principij, esse in textu, quem oportet ut cœlum capiat, idq; nondum probatum vidimus, multò minus id quod sequitur, comprehendere, quod etiam apud alios non facillè credo inventum iri, quum sit durissimum de tanto mysterio verbum, sicut & Beza illud, caelo contineri, & num verbum δεχεσθαι propriè & per se id unquam notet, valdè ambigo. Polani equidem in N. T. germanico hæc glossa est: Christus  
suo

quos hoc den Himmel eingenommen / non malè, modo non malè intelligatur.

XXXVIII.

Dimittamus Calvinum, accedamus ad Bezam, cujus hæc sunt verba. *Ut cali capiant, id est, receptum contineant, ex idiotismo Hebræorum sapiètimè à nobis observato, quo fit ut ex antecedente intelligatur consequens, ut quum πνευμα μὲν veiv accipitur pro acceptum transferre, ἐξελθεῖν pro digressum aliquò venire, & similia. Est a. in græcis constructio, fateor, ambigua, sed in verbis, non in re ipsa. Constat enim agi de vera Christi carne, & de vera ipsius è veris terris in veros cælos ascensione. Quis autem nisi insanum dixerit, vel vera carnis Christi modum excedere calorum illud inenarrabile spatium, supra quos illa verè penetravit; aut id, quod majus est, ab eo, quod infinite penè quantitate seu mole minus est, contineri? Itaq; immanis est eorum audacia, qui cum Nestorio naturas separant, nullam aliam Deitatem in Christo ponentes, quam qua proprietatum Deitatis omnium in carnem reali effusione definitur: & cum Eutychete realem essentialium proprietatum effusionem, statuantes, pro unione hypostaticâ, confusionem naturarum, invehunt: præcipua deniq; tria Christiana religionis capita, nempe verbi incarnationem, Christi in cælos ascensionem, & sessionem ad dexteram patris, funditus eversa, in Omni majesticam, sive Ubiquitaticam chimeram transformantes, cæli nomen pro cælesti gloria, & hanc rursus pro ubiquitaria omnipresencia, id est, Marcionis spectro, intelligi tam pertinaciter contendunt, ut aliter dissentientes auctoritate αὐθεντικῆν condemnent. Syrus certè interpres nullum ambiguitati sermonis locum reliquit, sic interpretans, ut nos fecimus, nempe, Quem oportet cæli capiant, quam interpretationem ideo cæteris prætuli, quum antea vertissem passivè, Quem oportet cælo capi,*

*capi, eadem prorsus manente sententia, ut istorum clamores  
compsciam, qui mei, ut heretici peruersissimi, damnandi occa-  
sionem ex eo arripuerunt, quod activam locutionem passivam ex-  
presserim.* Hæc Beza.

XXXIX.

De his agemus ordine, sed breviter. I. Idiotismus est ille Hebræorum, magnumq; sæpè habet usum. Vide saltem conciliationem optimam hinc nasci, inter psalten & apostolum Psal. 68, 19. Eph. 4, 8. inter textum authenticum Hose. 14, 2. *כֹּחַ אֲרָח* accipe bonum, & Lutheri versionem, *thue vns wol.* Confer Exod. 25, 2. & inspicere, quæ habet Tremellius ac Junius in cap. 12. Genes. v. 12. & in indice istis Biblijs sub-*juncto quare, Metalepsis*, ut alia nunc taceam. Num autem hic sit ille idiotismus, est in Quæstione. Beza sumit pro confesso *τὸ ἐσ, ἀρχῆ* & hinc demonstrat, ex puris particularibus ita progrediens. In quibusdam locis est metalepsis, ubi habetur *δέχεσθαι*. Hic est unus locus. E. & porrò: Quædam, quæ excipiunt, continent. Hic est aliquid quod excipit, E. continet. Nam omnia, quæ *δέχονται*, continere localiter, falsum est, siquidem & de animo usurpatur, & homines dicuntur alios *δέχεσθαι*. E. localiter continent, comprehendunt, ne sint extra ipsos? *ἄβου*. Nulla itaq; in hisce argumentis universalitas, nec dictum de omni. Videantur loca biblica. Matt. 10, 14. 40. 41. & 18, 5. Luc. 8, 13. Act. 8, 14. Jac. 1, 21. imò quomodo homines, finiti utiq;, continebunt aut comprehendent, ab omni parte concludent regnum cœlorum Marc. 10, 15. ubi valet Beza ratio, eaq; contra ipsum potest inverti, quod *δέχεσθαι* vi sua talem comprehensionem non notet.

XL.

I I. *Est constructio*, inquit Beza, *ambigua, sed in verbis,*

D

1075

*non in re ipsa.* Constructio ambigua in Logicis dicitur ἀμ<sup>β</sup>  
 Φιλολία, in Grammaticis ἀμφίδοξ & sententia, ut alibi do-  
 cetur. Nos vel hanc vel aliam talem in biblijs verè dari, ne-  
 gamus, absit enim ut Dei oracula reputemus λογία, qualia  
 erant Diaboli sapè. Rectius itaq; dixisset Beza, videri po-  
 test, fateor, ambigua, nempe illis, qui scripturam ερεβλωσι.  
 Sed in verbis, dicit Beza. Non puto, nam si est verè in ver-  
 bis, quomodo non etiam in re aut subjecta materia, quum  
 unius propositionis tantum sit unus sensus, quæ est illa res  
 verbis significata. Fortè autem hoc vult Beza, res non pa-  
 titur, ut utroq; modo accipiamus. Rectè equidem: quid igitur  
 impedit, quò minus non modo rectè (quod poterat hic  
 sufficere) sed etiam veriùs dicam, Christus cælum δέχεται  
 & occupat, quam cælum capit & continet Christum? neq;  
 res neq; verba impediunt, quod agnoscunt alij quoq; Cal-  
 vaniani. sed de hoc commate videri possunt *D. Mentzerus*  
*& Martinus* inter se disputantes. Cum verò aliàs ipsi Calvi-  
 niani junctis operis nobiscum pugnent acriter contra Ponti-  
 ficios, asserentes, scripturam esse ambiguam, nasum cereum  
 &c. non hic cum illis Beza debebat eandem inflare tibiam.

#### XLI.

*Εν προνοίᾳ* addo, apud bonos autores non dici vel  
 esse constructionem ambiguam, ubi subjecta materia re-  
 pugnat eodem modo transponere subjectum atq; prædica-  
 tum, licet constructio talis videatur. v. g. *Terent. in Andr.*  
*Act. 2. sc. 3. v. 4. orationem sperat invenisse se.* quis non  
 statim intelligit, sensum esse unum verum ac constantem,  
 sperat, quod ipse invenerit orationem, non autem, quod  
 oratio invenerit ipsum. Ratio, quia ille hanc invenit, non  
 hæc ipsum. Pari ratione, Christus ut Dominus occupat;  
 cælum, ut palatium Dei, & imperium occupatur, quia est  
 domi-

dominium & Domini, Christus ipse dominus. Nulla igitur hic est ambiguitas, tantum videtur vel talis habetur. Falsus proinde est *Beza*, *Junius* & his similia talia afferentes. Nescio etiam, quam bene asseratur: *Esti elegantia græca phrasibus illam quoque versionem* ( oportet Christum cælo capi ) *admittit, apostoli tamen non studuerunt elegantia sermonis, sed summa simplicitati.* Judicent alij de utroque hoc effato, 1. num ambiguitas simpliciter sit elegantia, 2. an apostoli non loquantur eleganter satis.

#### XLII.

III. Pergit *Beza*. *Constat agi de vera Christi carne, & de vera ipsius è veris terris in veros cælos ascensione.* Resp. Omnino, neque opus erat toties eadem nobis reperere. Non rectè autem *Beza* accipit, quum (1.) vera caro tantum hoc loco *Beza* est, quæ nullas habeat prærogativas vel dona præ carne merè physicâ seu hanc vitam vivente mortalem. (2.) nobis affingit, quasi statuamus, Christum non verè ascendisse. (3.) ibi, in carne, subsistit, & tantum contempletur, quod visibiliter ascenderit, nec jungit, sedet ad dextram patris, quod si faceret, videret, hanc carnem esse veram, quidem, sed non nudam nudi hominis, nudis physicis proprietatibus præditam. Et quænam est illa consequentia? Christus ascendit in cælum, E. à cælo continetur & comprehenditur. Major enim omiſsa falsissima est, & hic assumptio in sensu *Beza* longè falsior, quum dominetur ille, filius Davidis ad dextram Dei exaltatus in medio suorum, inimicorum *Psal.* 110, 2. quum ex eo tempore, quando voluit, extra cælum aspectabile hoc visus sit *Act.* 9, 17. & 23, 11. quum sit & ambulet in medio septem candelabrorum aureorum *Apoc.* 1, 13. & 2, 1. quum se suis affore promiserit *Matt.* 18, 20, & 28, 20. quum apostolus dicat, quod ascende-

rit *ἡ ἀνω μέγαν ὑπερῶν* Eph. 4, 10. factus cœlis excel-  
sior Heb. 7, 26. unde contra Bezam concludimus: super  
quod aliquis ascendit, ab illo non continetur aut compre-  
henditur. sed Christus super cœlum non modo, verum om-  
nes cœlos ascendit. E. illis non continetur. Sic de cate-  
ris. Extra quod quis videtur, ab eo non continetur inclu-  
sus, ita ut non sit extra illud: qui adest verè hominibus ve-  
ris tam pijs quàm impijs, in vera terra degentibus, is cœlo  
non continetur, &c.

#### XLIII.

Si quis dixerit, de dignitate & majestate esse illa acci-  
pienda: hactenus pro tempore acceptamus, & inferimus,  
E. localiter vel quasi localiter non continet, non compre-  
hendit, siquidem nullà dignitas ita continet. Beza autem  
ita de cœlo agit, quasi in eo esset verus locus physicus, unde  
possit physicum necti argumentum, quod patet ex sequenti  
ejus collectione. ?

#### XLIV.

IV. *Quis autem nisi insanus dixerit, vel vera carnis  
Christi modum excedere cœlorum illud inenarrabile spatium.*  
&c. Status quæstionis iterum aliter ac debet formatur, &  
verba nostra vel detorquentur, vel malè allegantur. & hæc  
omnia illà falsà nituntur hypothefi, quasi asseramus, Chri-  
sti carnem per omnia extendi, & majorem seu longiorem,  
latiorem, profundiorum esse mole, toto cœlo, continere  
omnia localiter seu sua capacitate, quæ nullus nostratium,  
qui quidem de nostris fuit rectè edoctus, unquam somnia-  
vit, sed carnem post unionem non posse separari à Deitate.  
omnes uno ore asserunt, ideoq; ne solvatur unio, affirmant,  
*λόγος* semper sibi habere præsentem suam carnem, nusquam  
esse, ubi non sit caro, nullibi esse extra carnem, quam vis nulla  
ratio

ratio humana possit assequi, quomodo caro in se finita possit esse per unionis gratiam, ubi est Deus genitus & infinitus. Infans interim nos esse credat D. Beza scripturæ mysteria. dum credimus: insanire etiam Paulum apostolum olim cen-  
sebat Festus, dum illa proferebat, quæ homo carnalis non capiebat Actor. 25, 24. cui Beza hac in parte non absimilis.

#### XLV.

V. Sequitur apud illum. *Itaq; immanis est eorum audacia, qui cum Nestorio naturas separant.* Benè omnino. si autem est ( ut est revera ) immanis audacia, quomodo citra hanc audaciam Beza potest monstrare alicubi λόγος, ubi non sit caro ei unita, siquidem ubi hunc sine illa ostenderit, naturas jam separavit, quod verè faciunt Calviniani, quando carnem Christi tantum esse in coelo asserunt, divinitatem ubiq; esse affirmant. Sæpè quis egeat foveam, in quam concidit ipse.

#### XLVI.

VI. Calumnia est longè maxima in his verbis: *Nullam aliam Deitatem in Christo ponentes, quam qua proprietatum Deitatis omnium in carnem reali effusione definitur.* Non enim ita definimus Deitatem Christi ab hoc consequente, sed de ipsa in unionem, præeunte scripturâ, dicimus, quod filius Dei assumens in unitatem personæ humanam naturam omnia sua illi communicaverit, quia verbum caro factum est. Ante unionem aliter de divinitate Christi loquimur, quia tum fuit λόγος simplex, qui post eam est σύνθεσις persona. Si autem, quicquid dicitur de re aliqua, est ejus definitio, vicit Beza: sin minus, verbis ejus fides non habetur. Vocabulum reale, & effusionis jam non explico, quomodo longè aliter accipiamus ac Beza, notissimum est, nempe realis dicitur, quia vera est & non ficta est, non quod Deitas



se illis proprietatibus abdicarit: effusio cum scriptura dicitur non physica transfusio, sed larga communicatio. Videantur ea quæ sunt dicta *Comm. in Joëlem cap. 2, 28.*

XLVII.

VII. Ecce mala causa multis indiget præsidij, imò fidei. Beza diffusus istis quæ attulit, planè contraria, & quæ cum prioribus stare nequeunt, nobis tribuit. Si enim Lutherani naturas separant cum Nestorio, unamquamq; integram relinquunt, & non confundunt cum Eutyche: si autem confundunt cum Eutyche naturas, separare eas nullo modo possunt. Eligat Beza, utrum velit, & falsum erit alterum, imò utrumq; quia non pro unione, quam sartam, tectam ut relinquamus, illa asserimus, quæ Beza impugnat, confusionem naturarum invehimus. Verum hæc & similia absurda Beza suggestit bilis splendida, quum videret suæ & Calvinii auctoritati multum decedere, si hunc locum, cui multum fidunt, & tamen ubi pedem figant, vix inveniunt, relinquunt. Quod cum ita sit, reliqua, quod tria religionis capita funditus evertamus, ne attingo quidem. Est nimis notum, quid de illis ex scriptura statuamus, & quomodo ex ascensione in caelos & sessione ad dexteram patris carnis Christi majestatem rectè deducamus. Ubiquitariam, omnipresenciam (uti Beza illam appellare jam placuit) esse Marcionis spectrū, tum verum erit, quando erit judicatum, meridie non lucere. Neq; enim Marcion tale universale spectrum, quod ubiq; sit simul (ut Beza somniat) sed unius veri corporis intellexit, quod in uno loco sit conceptum, natum, vitum, passum: neq; carnis Christi majestas est talis corporis distenta moles, qualem Beza contra conscientiam nobis assingit.

Quod

VIII. Quod cœli nomen pro cœlesti gloria accipiatur saepe, supra dictum est thes. 25. & probat id cum *Dn. Chemnitio D. Mentzerus*, nec possunt id negare alij Calviniani *Aretius, Crocius, &c.* Hoc itaq; transeat, quum facillè intelligatur. Quid autem illud sit phraseos, *ut aliter dissentientes*; quid illud habeat veritatis, *autoritate ἀὐθεντικῶς ἐπιμαρτυροῦντες* condemnent, non video. Nam quod ad prius, credo, dicere voluit, aliter sentientes, vel dissentientes: quod ad posterius, cum Christo dicimus, est alius, qui vos iudicat, nempe codex sacer, Moses, Prophetæ, Psalmi, Evangelia, epistolæ. Beza autem damnari ut hæreticum perversissimum, quod activam locutionem passiva expresserit, mihi non fit verisimile, qui puto, quod Beza rhetor τὰ σκληρὰ μαλακῶς. Damnatur enim quod Christum contra suum promissum cœlo includat, naturas separet, & alia falsa dogmata proponat de Christi persona & sacramento seu Testamento.

IX. Ita concludit Beza: *Syrus certè interpres nullum ambiguitati sermonis locum reliquit, sic interpretans, ut nos fecimus, nempe, Quem oportet cœli capiant, &c.* Resp. Syram versionem sanè magnificimus, de quâ videantur quædam *in præfat. in Syriacum N. T. superiori seculo auspicijs Augustissimi Imperatoris Vienna editum, curante id Alberto Widmestadio. Bell. lib. 2. de verbo Dei cap. 4.* Consule etiam *Bonaventuram Cornelium Bertramum in præfat. in תרגום* Trostium *in præfat. in Syriacum Lexicon.* Versio tamen est & manet, ut de illa ob autoris imperfectionem usurpari hoc possit, sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala quædam. Optimè inserit Rom. 4. 5. particulam בלחור. Παρρησιας

ῥησίαν Hebr. 4, 16. optimè vertit per refectionem oculo-  
 rum, ut declarat ibidem Tremellius. Confer quæ habet  
 idem in 2. Corinth. 3, 12. Optimè observari differentiam  
 generis in versione Syriaca Matt. 16, 18. sicut in textu authen-  
 tico græco, notarunt jam alij contra Pontificios, & benè,  
 quia *Bellarmin. lib. 1. de Romano Pontifice* textum Syrum ur-  
 get. (mihi) pag. 82. Eleganter Marc. 16, 16. qui non cre-  
 diderit, κατακριθήσεται condemnabitur, vertitur à syro  
 מהחייב seipsum reum efficit, ut ita omnis culpa in homi-  
 nem referatur. De vocibus quibusdam exteris seu syris in  
 N. T. monuerunt etiam alij, inter alia quoq; de ijs, quæ ha-  
 bentur 1. Corinth. 16, 22, μαρὸν ἀγαθὸν & poteram de ijs non-  
 nulla subijcere, si liceat. sed servabo illud sapientis moni-  
 tum: עת לחשות ועת לדבר. Benè syrus reddit Galat. 5, 6.  
 εὐεργετηθῆναι δι' ἀγάπης per מתנזרין בחובה. Benè illam,  
 quam quidam introducere potius quàm invenere, dubita-  
 tionem Joh. 5, 39. in verbis ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, tollit ver-  
 tens בעו in Imperativo, ut Matth. 6, 33. Actor. 8, 24. non  
 verò ut Marc. 16, 6. בען אמתון ubi est indicativus. Jacob.  
 2, 13. verba græca κατακρυφατατα εἰλεος κρείστας satis commo-  
 dè explicat, extollimini vos per misericordiam supra judi-  
 cium, cujus assertionis egregius Commentarius scribitur  
 Matt. 25, 34. &c. Malè autem Syrus verba Joh. 5. 27. ὅτι οὐδὲς  
 ἀνθρώπου ἐστὶ, sequentibus combinat, licet hoc rectè factum  
 esse defendat Junius &c. qualia in utramq; partem multa  
 possent proferri exempla, si id nunc nostri esset instituti.

L.

Hæc nunc sufficiunt, unde constat, non simpliciter,  
 nec semper esse standum autoritate hujus versionis, si vel  
 maximè illa apertè sententiam Calvinianorum probaret,  
 tum nimirum, quando eandem non firmat textus authen-  
 ticus,

ticus, ad quem illa exigenda velut ad normam. Verum hoc loco non opus est, ut huc decurramus, quum tam ex Grammaticâ, propriâq; vocum significatione, quàm Logica & optima consequentia, vel etiam ex ipsâ Theologia possimus facillè hanc versionem hujus loci salvare, & ostendere, quod nec juvet adversarios quicquam, nec nobis obsit, imò rectè intellecta multum proficit.

LI.

Sic habet: וְהָיָה לַיהוָה לְשׂוֹמְרֵי כְבוֹדוֹ *cui conveniens est ut cœli honorificè eum velut suum Dominum venientem excipiant* (quemadmodum כָּבֵד usurpatur de Simeone, Christum Dominum suum in ulnas recipiente in obsequij signum Luc. 2, 28. 29.) quod etiam factum esse testatur historia ascensionis, quando nubes contra suam naturam deorsum tendens se domino suo submitit, eumq; lubens in altum evexit. Actor. 1, 9. ubi verbum græcum *ὑπέλασε* minus probè Beza videtur explicare. Idem de cœlesti exercitu comitante Christum in ascensione, eumq; suscipiente, olim prædixit psaltes Psal. 68, 18. Ecce ita cœli suum Dominum convenienter & reverenter excipiunt, ut creaturæ creatorem, & jam secundum humanam naturam etiam omnium rerum Dominum à patre constitutum Psal. 8. 1. Corinth. 15. Heb. 2. כָּבֵד vero quod talem susceptionem honorificam denotet, declarat pluribus pro me in suo *Lexico M. Martinus Trostius pag. 548.*

LII.

Sic igitur neq; hæc paraphrasis habet passivam vocem (quam frustra urget *Calvinus*, quamq; *Beza* in versione correxit, *Polanius* neglexit, cum *Luthero* vertens, *welcher swar den Himmel einnehmen muß*) nec Christum calo captum, esse aut eo contineri vel comprehendi ullo modo asseverat,

E

si mâ-

si maximè *Martinus* hoc velit urgere, quod ita liceat in-  
 ferre ac dicere: Cœlum excipit Christum. E. Christus à  
 cœlo est exceptus, utrumq; enim salva nostra hypothesi pos-  
 sumus largiri, eo modo, quo explicuimus illud *ἔχει &*  
*ἔχει*. Quod autem non notetur hoc loco tale CAPERE  
 vel excipere, quod includat exceptum, constat ex superius  
 allatis thes. 26. 36. 37. 39. 42. Non itaq; est, quod *Cornelius*  
*Bertramus* *præfat. in* *ἔχει* hîc ita triumphet, quasi in hac  
 versione invenerit pro sua sententia; non quod pueri cla-  
 mitant in faba se reperisse, siquidem neq; hîc est ulla *ἀμφι-*  
*εὐλογία*, neq; hæc paraphrasis magis favet Calvinianis, quàm  
 nobis.

LIII.

Contrahamus ea, quæ prolixè hîc exaggerari poterant:  
 Græcus textus authenticus dicit, quid Christus fecerit, vi-  
 delicet quod in sui exaltatione secundum humanam natu-  
 ram, & collocatione ad dexteram patris occupârit cœleste  
 regnum, & omnium rerum plenarium dominium: Syrus  
 interpres econtrario ponit, quid cœlum fecerit, & quomo-  
 do se gesserit, videlicet cum magna promptitudine Chri-  
 stum suum dominum excipit. ibi notatur majestas & po-  
 tentia domini triumphantis, hîc obsequium & reverentia  
 creaturæ obedientis. quam ne sine causâ cœlo tribuisse,  
 videamur, scripturæ morem illum laudamus, ubi non fru-  
 stra res bruta ad Dei nutum parere, cœlum & terram audi-  
 re, & quid multis? omnia creata Dei servi esse, ipsi inter-  
 vire ac jussa expedire dicuntur, ipse autem propterea Domi-  
 nus *ἰσχυρὸς* rectè appellatur. Confer Gen. 2, 1. Psal. 103, 21, 22.  
 & Psal. 148. &c.

LIV.

Cum Lactantio, vel quisquis est autor illius carminis  
 Lactantio subjecti, concludimus: Eccē

*Ecce renascentis testatur gratia mundi,  
 Omnia cum Domino dona redisse suo.  
 Namq; triumphanti post tristia tartara Christo  
 Undiq; fronde nemus, gramina flore favent.  
 Legibus inferni oppressis super astra meantem  
 Laudant rite Deum lux, polus, arva, fretum  
 Qui crucifixus erat, Deus ecce per omnia regnat,  
 Dantq; creatori cuncta creata precem.*

Eundem igitur nostrum Dominum rogamus, aperiat nobis oculos, & convertat nos à tenebris ad lucem, & à potestate satanæ ad Deum, ut remissionem peccatorum & sortem, inter sanctificatos accipiamus per fidem, quæ est in ipsum. Act. 26, 18. opera facientes convenientia resipiscentiæ v. 20. ita futurum est, ut, quum ipse, qui est vita nostra, venerit in gloria Matt. 25, 31. & nos appareamus cum ipso in gloria Coloss. 3, 4. Amen.

*Placet Coronidis loco apponere ea, quæ de ultimi nostri dicti versus verbis controversis quondam scripsit D. Christophorus Pelargus in Actuum Apostolicorum methodica & brevi expositione, edita Francofurti Anno 1599.*  
*pagin. 90. 91.*

Observandum est, veterum quidem nonnullorum auctoritate, verba Petri, quem oportet *caelum δεξαδοῦ*, transferri significatione passiva, ὡς δεινὸν οὐρανοῦ δεχθῆναι, velut Nazianzeni orat. 2. de Filio, & Oecumenij, qui cœlum Christi vocat receptaculum: τοῦ ἀπερὸς μου ὑποδοχῶν. Just. Martyr. ὅτι ἀρραγεῖν τὸν χεῖρόν εἰς τὸν οὐρανὸν πατρὸς μὴ τὸ ἀναστῆσαι ἐκ νεκρῶν αὐτὸ ἔμελλε, καὶ κρατῆσαι ἕως ἂν περὶ τῆς.

Interim tamen alteram translationem, quæ vulgò recipi solet,

solet, & autoritate syri interpretis nititur, minimè impro-  
 bandam, neq; inclusionem quandam corporis Christi fin-  
 gendam, ac si tanquam Jovem Elicium, ex angusto aliquo  
 cœli spacio, cui inclusus sit, evocari illum oporteat. Sanè  
 Calvinum dubia verbi *δεξασθαι* significatio minimè latuit:  
 quamobrem discipulis suis aliquantò modestior; *locutio,*  
*inquit, est ambigua, quia tam intelligere possumus, Christum*  
*cœlo capi vel contineri, quàm cœlum capere: & ne verbum*  
*dubie significationis urgeamus; sed contenti simus, quod cer-*  
*tum est, Christum in terra, dum speratur ultima rerum instau-*  
*ratio, non alibi quam in cœlo quarendum esse &c.* Cumq; Be-  
 za in quæstionibus suis pag. 17. Christi quoq; humanitatem,  
 ipse omnipræsensem concedat, sed *ἕστ' ἀλλο*, quatenus co-  
 hæret *ἰσὺς αἰθέρων* unione cum ipso *ἰσὺς*, qui est ubiq;, & ad-  
 dat ibidem: Christus nequaquam nos deseruit, cum etiam  
 secundum carnem suam glorificatam nunc omnia in cœlis  
 & terris administret, accepto à Patre nomine, quod est su-  
 pra omne nomen, cur odioso monstrôsæ ubiquitatis no-  
 mine Ecclesiam turbant amplius, vexant, lacerant  
 malè feriat homines? Hæc ille,










*Ecce renascentis testatur gratia m*  
*Omnia cum Domino dona rec*  
*Namq; triumphanti post tristia tan*  
*Undiq; fronde nemus, gramina*  
*Legibus inferni oppressis super astr*  
*Laudant rite Deum lux, polus,*  
*Qui crucifixus erat, Deus ecce per o*  
*Dantq; creatori cuncta creatu*

Eundem igitur nostrum Dominum roga-  
 oculos, & convertat nos à tenebris ad lucem  
 fatanæ ad Deum, ut remissionem peccatorum  
 inter sanctificatos accipiamus per fidem  
 Actor. 26, 18. opera facientes conveni-  
 v. 20. ita futurum est, ut, quum ipse, qui  
 nerit in gloria Matt. 25, 31. & nos appare-  
 gloria Coloss. 3, 4. Amerl.

*Placet Coronidis loco apponere ea*  
*nostri dicti versus verbis controversis quondam sc*  
*Pelargus in Actuum Apostolicorum methoo*  
*positione, edita Francofurti Ann*  
*pagin. 90. 91.*

Observandum est, veterum quidem  
 floritate, verba Petri, quem oportet caelestis  
 ri significatione passiva, ὡν δὲ ὕψος οὐρανῶν  
 zianzeni orat. 2. de Filio, & Oecumenij,  
 vocat receptaculum: τοῦ ἀπεσπλάγγου  
 tyr. ὅλη ἀγαγὼν τὸν χεῖρόν εἰς τὸν οὐρανὸν πα-  
 ἔκ νεφρῶν αὐτὸ ἔμελλε, καὶ κατέχευ ἕως ἀν-  
 Interim tamen alteram translationem



the scale towards document

to  
 at.  
 m,  
 at,  
 nobis  
 testate  
 ortem,  
 plum  
 centiæ  
 ra, ve-  
 so in  
 ultimi  
 phorus  
 -  
 m au-  
 ansfer-  
 ut Na-  
 Christi  
 Mar-  
 αἰσῶν  
 recipi  
 solet,